



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

40. An unus possit plures baptizare absque necessitate sine peccato mortali? Et notatur, quod in tali casu non unum, sed plura Sacramenta conficerentur. Et an ita Baptizans, si esset in peccato ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

# De Sacram. Baptismi. Ref. XXXIX. &c. 27

persona y con acuerdo de algunos hombres doctos, particularmente siendo difficultoso acudir al Obispo, pues no se acude à el por tener jurisdiccion, sino solo por el examen. Tambien es verdad asseñtada que si sin examen le bautizasse, aunque serja peccato mortal, quedaria verdaderamente bautizado. ] Ita ille, & ego.

## RESOL. XXXIX.

An in naufragio, vel alio casu ob periculum mortis, possit quis plures baptizare?  
 Et an si quis ita plures baptizavit in statu peccati mortalis, committat tot peccata mortalia, vel unum tantum?  
 Et an, qui ita plures baptizat extra casum necessitatis, non peccet mortaliter, salsuo scandalo. Ex part. 5. tract. 3. Ref. 27.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 5. ad 4. quia in tali casu nihil dehit ad valorem sacramenti; & extrema necessitas facit, quòd talis modus baptizandi sit licitus. Et ita hanc sententiam docet Coninch. de Sacram. q. 67. art. 6. dub. 2. n. 51. Ubi sic ait: Urgente gravi necessitate, uti quando immineret subito multis mortis periculum, licitè hoc modo plures baptizantur; est communis Doctorum. Ratio est, quia cum Baptismus possit valide ita conferri, nulla fit ei irreverentia, si in tanta necessitate contra consuetum ritum conferatur. Ita ille, licet Sotus in 4. sent. dist. 4. q. unic. art. 4. §. secundo sequitur, etiam extra casum necessitatis existimet plures baptizantes non peccare mortaliter, si citra scandalum fiat, sed hanc sententiam refellit Coninch. ubi supra, & Hurtado de Sacrament. Baptismi, disput. 2. diff. c. 7. ubi etiam docet ex communi Doctorum sententia, in tali casu adesse plures Baptismos, & plura Sacramenta, quia sunt plures ablutiones formaliter & expressè, & sunt plures forme, quamvis non formaliter & expressè, sed æquivalenter, quia, Ego vos baptizo, æquivaler his, Ego te baptizo, & Ego te baptizo, æquivaler illis, Ego vos baptizo, quia illis verbis. Ego vos baptizo, vere significatur omnes ablutiones quibus Minister sub his verbis baptizat, quod sufficit, ut ex dicta forma, quæ æquivalenter est plures, & ex dictis pluribus ablutionibus plures fiant Baptismi, & plura sacramenta.

2. \* Sed in hoc casu si esset vera sententia Vasquez, & aliorum asserentium etiam laicos ministrantes in periculo mortis baptismum in peccato mortali, peccare mortaliter; si, inquam, vera esset hæc sententia, posset quis querere, \* an si quis plures baptizaret in statu peccati mortalis, committeret tot peccata; nam, ut dictum est, in tali casu sunt plures baptismi, & plura sacramenta. Verum, salvo meliori iudicio, etiam in sententia Vasquez, puto in tali casu non adesse nisi unum peccatum mortale, quia illa plura sacramenta conferuntur per modum unius.

## RESOL. XL.

An unus possit plures baptizare absque necessitate sine peccato mortali?  
 Et notatur, quod in tali casu non unum, sed plura

ra Sacramenta conficerentur.  
 Et an ita baptizans, si esset in peccato mortali, committat tot peccata, quot personas baptizavit?

Et advertitur, quod si sit aliquod monstrum, puta, si nascitur homo cum duobus capitibus, atque duobus dorsis, ita ut certum sit esse distinctas personas, & distinctis animabus constare, singulas earum baptizandus esse cum forma illa, Ego te baptizo, &c.

Sed adverte etiam, obsecro, quid faciendum sit, si certo deprehendi nequeat, esse duas personas, & duabus animabus informari? Ex p. 9. tract. 6. & Misc. 1. Ref. 29. alias 30.

§. 1. **R**espondeo, te posse simul plures baptizare, si plures abluas, & formam omnes comprehendentem proferas, sicuti si plures abluendo, diceres, Ego te baptizo; quia ablutio non est unica, sed multiplex, juxta multiplicatam subjectionum, qui abluuntur: forma verò, citò, videatur physicè una, mortaliter multiplex est, quia eundem sensum præstat ea forma: Ego vos baptizo, super plures prolata, ac si super singulos diceres, Ego te baptizo. Et ita docet D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 5. ad 4. & ibi Araujo, Serra, & alij ejus scholæ, Alexander de Ales 4. p. q. 8. mem. 6. artic. 7. & Palud. in 4. disp. 3. q. 2. n. 4.

2. Sed difficultas est, an ita baptizare sine necessitate, sit peccatum mortale. Et negativam sententiam docet Sotus in 4. dist. 4. q. unic. art. 4. §. Secundo arguitur. Solum enim censet, in tali casu veniale peccatum adesse, si seceret, & citra scandalum fieret.

3. Sed ego puto, in tali casu sic baptizantem peccare mortaliter, quod docuit Scot. in 4. dist. 6. q. 2. §. Respondeo, & Gabriel q. 1. art. 2. conclus. 7. quos citat, & sequitur Pater Vasq. in 3. p. tom. 3. disp. 148. c. 7. n. 50. quia administrare sacramentum contra usum & modum consuetum, secundum se materia gravis est, nec levis judicari debet. Et ita hanc sententiam tenet etiam Coninch. de Sacram. quest. 67. art. 6. dub. 2.

4. Notandum est tamen hic obiter, quod in tali casu, non unum sacramentum, sed plura conficerentur, ut optimè probat Coninch loc. cit. conclus. 3. & Vasquez num. 51. nam, licet in prædicto casu non sint diversa verba, & orationes; sed una tantum super omnes baptizatos proferatur: ea tamen vim habet diversarum formarum; non, quia in ea expressè sunt plures significationes, (ut quidam dixerunt, quorum sententiam refellit Paludanus disp. 3. quest. 2. num. 10. ( Sed, quia illa una significatio ad plures refertur, & hac ratione plurimum rationem habet, & singulis integrè accommodari potest; siquidem plumbus formis æquivaler: & hoc satis est, ut plura Sacramenta constituere possit.

5. Sed, an ita baptizans, si esset in peccato mortali, committeret tot peccata, quot personas baptizavit? Respondeo, committere unum solùm peccatum: nam, licet diversa ministravit sacramenta, censentur verè ministrata per modum unius; atque ideo in genere moris non plura, sed unum constituunt peccatum.

6. Notant etiam Marsil. in 4. q. 4. art. 4. dub. 18. Gabriel d. 6. q. 1. art. 3. dub. 5. & Scot. q. 2. §. De quarto membro: quòd si sit aliquod monstrum, puta, si nascatur homo cum duobus capitibus, atque duobus dorsis, ita ut certum sit, esse distinctas personas, & distinctis animabus constare, singulas illor

Sup. conten. to in hoc §. ex Ref. præterita §. 1. ad doctrinam à principio, §. 1. usque ad medium, & alterius §. not. primæ dictæ Ref.

Sup. hoc in Ref. præterita §. 1. ad medium, Verset. m. extra casu.

Sup. hoc ibidem §. 1. post medium, Vers. Vbi etiam.

Sup. hoc in Ref. præterita §. ult. à lin. 5. & in alio ejus ult. timæ not.

INTON  
Opera  
Tom. 10 II  
E III

rum seorsim baptizandas esse cum forma illa, *Ego te baptizo*, &c. Si autem certò deprehendi nequeat esse duas personas, & duabus animabus informari, tunc absolute baptizandas esse partes illas, quæ videntur præcipue ad unam animam pertinere; reliquas verò, de quibus dubitatur, an habeant aliam animam, sub conditione baptizandas esse eadem forma verborum; non autem absolute propter periculum iterandi Baptisimum. Unde Valq. ubi supra.

## RESOL XLI.

*An possint plures eundem hominem baptizare tanquam cause partiales, quorum singuli applicent materiam; & proferant formam?*

*Et an hoc modo baptizatus, ut minimum sub conditione esset de novo baptizandus?*

*Et notatur, quod si plures aliquem baptizarent, seu abluerent, & quilibet eorum diceret, Ego te baptizo, quamvis hoc illicite agerent, & puniendi essent, qui prius tamen verba proferret, verum Baptismi Sacramentum conficeret.*

*Et quid, si omnino simul verba proferrent, & abluerent, etiam si unus unam partem baptizari abluat, alius aliam, &c. an plures Baptismi, & plura sint Sacramenta, vel tantum unum? Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. Resol. 30. aliis 31.*

S. I. **A**ffirmative respondit Durandus in 4. distinct. 3. quest. 3. num. 16. Paludanus ibidem, quest. 2. artic. 1. Cajetanus in 3. part. ubi infra. Et hanc sententiam, speculativè loquendo, non videri improbabilem putavit Præpositus in 3. part. quest. 67. artic. 6. dub. 2. num. 11. & absolute docet Valentia quest. 2. punct. 2. quia plures possunt simul baptizare, si simul abluant, & proferant verba, *Ego te baptizo*: sed idem significant illa verba, *Nos te baptizamus*: ac si singuli dicerent: *Ego te baptizo*, &c. ergo validus erit Baptismus sub illa forma. Secundò, quia, cum plures Judices sententiam ferunt, perinde est, si nomine omnium dicatur, *Nos judicamus*, ac si singuli dicerent, *Ego judico*: similiter cum idem poterat ducere simul plures uxores, validum esset Matrimonium, si simul omnes dicerent: *Accipimus te in conjugem*: cum ergo ex dictis certum sit, posse à pluribus eundem baptizari, ratum erit Sacramentum, si nomine omnium dicatur: *Nos te baptizamus*.

2. Sed negativam sententiam docet D. Thomas in dict. art. 6. & omnes ejus Expositores. Et idè hoc modo baptizatum, ut minimum sub conditione esse de novo baptizandum, dicendum est. Et ratio communis opinionis est, & peti debet ex institutione Christi, quæ potissimum inde probatur, quòd Ecclesia semper intellexerit hoc sacramentum ita à Christo institutum fuisse, ut ab uno, & eodem deberent forma, & verba pronuciari, & baptizandus abluì. Colligitur in primis ex perpetuo ejus tali usui: hæc enim nunquam in praxi habuit, quòd aliter quàm ab uno baptismus totus administraretur. Secundò, idem colligitur ex unanimi sententia Doctorum, qui concorditer omnes judicarunt, baptismum à duobus collatum, esse invalidum, exceptis duobus jam citatis: qui tamen, neque constanter, & firmiter audent oppositum asserere. Rationem autem congruentiæ assignat Divus Thomas hic in corpore: quia homo baptizatur ut minister Christi: quare sicut Christus est una persona: ita oportet Mini-

strum baptismi esse unam personam, qui Christum repræsentet.

3. Notandum est tamen, quòd si plures aliquem baptizarent, seu abluerent, & quilibet eorum diceret: *Ego te baptizo*: quamvis hoc illicite agerent, & puniendi essent: qui prius tamen verba proferret, verum baptismi sacramentum conficeret. Si verò omnino simul verba proferrent, & abluerent; omnes verè baptizarent, & unum tantum sacramentum efficerent. Omnes hujus conclusionis partes docet D. Thomas ubi supra. Primam illis verbis: *Essent puniendi de inordinato modo baptizandi*. Quæ etiam probatur: quia baptizant contra modum baptizandi ordinatum ab Ecclesia, quæ ordinavit, ut unus solus baptizet: ergo inordinate, & illicite agunt, sicque puniendi sunt.

4. Secundam illis verbis: *Ille, qui prius verba proferret, daret Baptismi Sacramentum*. Quæ etiam probatur: qui prius verba proferret, legitimam formam, & materiam apponit: si intentionem baptizandi habet, verum baptismi sacramentum conficit: & alter, qui postea verba pronuciare præfumeret, nihil faceret, & tanquam rebaptizator puniendus esset.

5. Tertiam illis verbis: *Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, &c. utique, quantum in se est, baptizarent*. Quæ etiam probatur. Omnes sufficienter omnia requisita ponunt: ergo, sicut recenter ordinati Sacerdotes, omnes simul cum Episcopo verè consecrant, si simul verba consecrationis proferunt, ita & in nostro casu, omnes verè baptizant.

6. Quartam illis verbis: *Nec traderent aliud, & aliud Sacramentum: sed Christus, qui est unus intorius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret*. Quæ etiam probatur contra quosdam recentiores illam negantes. Tum, quia idè dicitur unum baptismum, quia unus homo non potest nisi unum suscipere: Tum etiam, quia tunc una est ablutio: ob unitatem subjècti, etiam si unus unam partem baptizati abluat, & alter aliam: non secus ac quando unus solus baptizat, etiam si dans distinctas partes abluerent, non contiguas, media non abluta, una esset ablutio; ergo unum baptismi sacramentum, hoc enim pro ablutione supponit. Tum deinde, quia si quis à pluribus prædicto modo baptizaretur, plura reciperet baptismi sacramenta; majorem gratiam reciperet, quàm si solum baptizaretur ab uno: plura enim sacramenta majorem gratiam conferunt, quàm unum solum. Sed hoc est falsum: ergo, &c. Tum denique, quia, sicut, quando plures Sacerdotes eandem Hostiam consecrant, unum solum Eucharistia Sacramentum efficiunt: ita quando plures eundem hominem baptizant, unum sacramentum baptismi efficiere.

7. Neque huic obstat pluralitas numerica verborum, formarum, & actionum. Respondetur namque, sicut quando unus baptizat plures, dicendo, *Ego vos baptizo*, sunt plura baptismata, quamvis forma, & actio ministri sit una numero, ita quando plures unum baptizant prædicto modo, est unus baptismus, licet formæ, & actiones Ministrorum sint plures: propter hoc enim plures baptizantes, sunt plures causæ totales instrumentariae ejusdem sacramenti baptismi; sicut plures Sacerdotes, simul consecrantes eandem Hostiam, sunt plures causæ instrumentariae totales ejusdem sacramenti Eucharistia. Et hæc omnia docet Magister Serra, in tertiâ partem D. Thomæ, q. 67. art. 6. concl. 2.

His tamen non obstantibus, ego putò opinionem agnoscendam in tali casu non unicum, sed plura Sacra